



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve
Adolescentiae Sanctorvm**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphalorvm, 1615

Benevolo Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

BENEVOLO LECTORI.

Entra omnes qui Christianæ reipubli-
cæ tuin conseruandæ tum amplifican-
dæ operam nauārunt, Benevole Le-
ctor, nulli felicius prudentiūsue rem
auspicati sunt, quam qui iuuentutem
à teneris, optimis artibus, pietate ac moribus imbuendam
sibi desumserunt. Iuuenta enim optimè informata
non possunt non felices euadere virorum Venerabilium cætus totæq; reipublicæ, quarum Capita, primates,
proceres item iuxta ac ciues ad optimarum rerum
studia, atq; amorem honestatis intra parietes phron-
tisteriorum geniti quodammodo atq; effecti fuerunt.
Quod quidem officij genus nulla religiosarum familiarum prudentius feliciusque complectitur, quam de
nostra hac vrbo totaq; Germania optimè merita Societas Iesu. Hæc indefessò labore iuuentutem optimis ex-
colere studijs, deuincire Sodalitijs, excitare præmijs,
multiplici piorum librorum apparatu vallare, crebro
& vtinam apud omnes religiosos æquè frequenti Sa-
cramentorum vsu expiare, magno Christianæ reipu-
blicæ fructu atq; applausu conspicitur. Frustrit itimò
hisce beneficijs vterq; orbis, non ille solum cui Roma-
nas aquilas Cæsares, sed & ille nouus, cui vexillum
Christi Societas Iesu inuexit. Nec tamen interea de-
dignatur extrancas in hanc messem admittere operas
etiam imbelles, & suo zelo atq; feruori maximè impa-
res; quin potius hortatu impellit, id spectans, vt omni-
bus numeris absoluta sit iuuentutis instructio. Huic
igitur instituto promouendo præfens hoc Speculum
iuuentæ quasi minutum quoddam ad diues æxarium,
nō tam meo nutu, quam eiusdem Societatis ductu ad-
ieci, & calamum ei (vt quam leuisimè dicam) commo-
daui: eo fine, vt quæ in grandioribus voluminibus, & à
notitia iuuentutis longè remotis sparsim inueniuntur,

vno



vno quasi fasce complecteret. Ne tamen alijs subserui-
endo fructū ipsemet caream, minutum hoc meum, aut
si quid est eo minutius Tibi Beneuole Lector velut
nummulario commisi, nec aliud abs te fēnus exspecto,
quam vt diligentī lectione Speculum hoc scruteris, &
quā tibi ex vītu sīt, ad animā tuā ornatū, Dei; so-
lius gloriā prompto animo mutueris. Ne autem pue-
rorum vitas puerile quiddam sapere, atque ab imita-
tione tua alienum putas, multa in progressu videbis, à
senili prudentia & canis minimè dissimilata, imò mul-
ta admiratione dignissima: ita vt in tenella Sanctorum
ætate digitum Dei, & magisterium Spiritus Sancti ag-
noscas; qui meritō illud Dauidicum dixerint: Super
senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Denique vt
de fructus nobilitate nihil ambigas, summa totius pu-
erilis institutionis hæc est, vt iuuentus ad omnem ho-
nestatē, ad rerū publicarū conseruationē, ad
Ecclesiæ Catholicæ spēm atque propagationē, ad
eternā demū vitā adēptionē maturēscat. Hæc quanti-
tati & quam sedulo facias, vulgus bonorum in te foler-
ter obseruat. Vale & fruere.

INDEX